



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1400. usque ad annum 1415 - Unacum Dissertatione
Præliminari Ad Historiam Sæculi XV.


Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1767

VD18 90118286

Interpres Lectori benevolo Salutem!

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66281](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66281)



INTERPRES

Lectori benevolo Salutem!

De operis hujus instituto, Continuatoris nostri consilio, atque de versionis meæ ratione quid, Lector amicissime, sentias, paucis accipe. Fusius quippe in Historiæ Ecclesiasticæ laudes, ut excurram, eamque prolixiori sermone commendem, dissuadet ipsamet illius utilitas juxta ac venustas, omnibus perspicua, ac

c 3

præ-

præcipue sæculi nostri quotidie
delicioris genio accommoda-
ta, *vendibili enim vino*, ut decan-
tatum fert proloquium, *quæsitæ
elogii hædera haud opus*. Nihilo-
minus non erit abs re, ut præ-
cipuas, quibus Fleurianæ Histo-
riæ continuatio ab Auctore no-
stro feliciter elaborata ceteris e-
minet, prærogativas impræsentia-
rum recenseam.

§. I.

De operis præstantia.

Perfecti Historici partes ex-
pleffe, ab omnibus artis criticae
peritis censetur ille, qui in rebus
seu recensendis, seu refecandis
prudencia, in dijudicandis soler-
tia, in iis, quæ laude vel vitupe-
rio digna sunt, internoscendis sa-
gacita-

gacitate, in variis gestorum narrationibus constantia præstans existit, ac demum severus veritatis assertor, atque ab omni partium studio alienus probatur. Ad hæc sane critices præcepta instructam esse præsentem Historiæ continuationem haud cunctanter asserimus; illius enim Auctor celeberrimi Abbatis Fleurii vestigia premens minus digna, a proposito suo devia, ac scholasticorum altercationes redolentia sollicitè ressecavit, potissima tamen Ecclesiæ atque Europæ gesta methodo digessit adeo succincta, ut *ex eorum simplicissima narratione paratum* (ita Cicero loquitur (a)) *habeant,*

(a) *ad Marcum Brutum.*

*habeant, unde sumant, qui velint
operosiores Historiam conscribere.*
Non tamen propterea conqueri
poterit Lector, ac si ex ejus Hi-
storia plus habeat, quod divinet,
quam sciat & teneat. Media e-
nim incessit via Continuator no-
ster, nunquam parcus, nisi facti
ignobilitas exposcat, semper am-
plus, ubi rei gravitas verba per
concisas oratiunculas restringere
prohibet. Nec ergo compendium
sterile, nec fastidiosa Historiæ vo-
lumina tibi exhibentur; hujus e-
nim operis usus Lectori suo nec
brevitate insufficiens, nec ampli-
tudine tædiosus erit. Præterea
libero satis calamo ea reprehendit
Auctor, quæ vituperanda du-
cit, & quæ placent, adjectis non
raro

raro rationibus comprobatur, in quo tamen & ipsum quandoque humana passum fuisse, haud dissimulamus, quamvis id non Scriptoris vitio factum credamus, sed moribus patriæ, in qua scripsit, serviendi necessitate. Nihilominus jure merito de Continuatore nostro id ipsum, quæ Weismanus de Joanne Launoio effatus est, edicere valeo: (a) *Historicus est cordatus, lectionis vastæ, judicii sat exercitati, & quod præcipuum est, veritatem animo liberiore sectantis ingenio.* Ut vero sibi semper constaret, coævus ut plurimum sequitur auctores, totumque narrationis filum ex eodem

(a) *in sua Notitia Auctorum.*

eodem plerumque Historiæ corpore deducit. Dixisse sufficiat Continuatores nostrum, quæ Fleurius indefesso juxta ac utilissimo labore auspiciatus est, tam ampla eruditione & ingenio absolvissè, ut quæ olim Joannes Hornbeckius de Baronii Annalibus censuit, de utroque Clarissimo nostro Auctore effari liceat: *Sane, inquit ille: (a) istud opus incomparabile dico, cui ob Auctoris utriusque diligentiam, laborem, & eruditionem, quantum debet, vix scit Eruditorum orbis.*

§. II.

De Continuatoris Nomine.

Historiæ suæ, quam Continuator a sæculo XV, quo desinit
Fleu-

(a) *Miscell. lib. I. c. I.*

Fleurius, usque ad annum Domini millesimum quingentesimum nonagesimum quintum profecutus est, nomen suum haud præfigendum censuit, abs dubio, plus de literariæ reipublicæ utilitate, quam de nominis sui gloria sollicitus. Communior tamen vox, atque sententia est, hujus lucubrationis Auctorem extitisse R. P. Dominum Joannem Claudium Fabri Congregationis Patrum Oratorii Alumnum. Ipfus ego Parisiis a quodam Præ- lato, Viro in omni historica eruditione longe versatissimo, aliisque non infimæ notæ Religiosis, hunc ingenii partum ab ejusdem calamo profluxisse didici; præ- terea Richardus (a) insigne hoc opus

(a) *Dictionaire Univerfel Tom. II. p. 670.*

opus eidem P. Fabri adjudicat, ac de eo meminit, illum Anno 1686. die 25. Aprilis Lutetiæ Parisiorum natum, theologicæ facultatis Parisiensis Baccalaureum fuisse; demum vero die 22. Octobris Anno Domini 1753. extremum obiisse diem. Cetera Virum fuisse morum comitate ac modestia valde commendabilem, atque a cunctis, quibus colloquii copiam dedisset, dilectum ac summo honore habitum. Verum hæc quæstio de Nomine est.

§. III.

Doctorem de eo iudicium.

Quamquam plerisque eruditissimis Continuator noster, Scriptor magni Nominis, ævo nostro sine controversia celebratissimus,
ac

ac perspicuitatis merito nec non in factis seligendis iudicio, & in connectendis dexteritate longe præstantissimus deprædicetur, non desunt tamen, qui eidem errores haud contemnendos, nævosque graviores exprobrant. Nihil moramur severiorem illorum Crisin, qui delicatoribus nari- bus semper impietatem odorantur, nisi plenis buccis Ecclesiæ, aut Summorum Pontificum merita extollantur, si vero illorum nævi referantur, jam a veritate aliena, ac fidei contraria proferri lamentantur, piisque oculis submovenda existimant. Ast Historici est veritatem facti edicere, nulli personæ adulari. Non ergo in omnibus fugillandus est
Conti-

Continuator noster, ubi mores Summorum Pontificum, maxime qui tempore schismatis Ecclesiæ præfuerant, redarguit: quod enim eos Ecclesia infallibiles in dogmate teneat, nunquam Angelos, seu impeccabiles in moribus venditat. His prætermittis, Pagius in suo Breviario gest. Rom. Pontific. tom. 5. ad Annum 1459. num. 9. & ad Annum 1467. num. 29. ac alibi sæpius Continuatorem nostrum literarii plagii postulat hæc scribens: *Spondanus & post ipsum Continuator Hist. Ecclesiasticæ Abbatis Fleurii, qui Spondanum transcribit &c.* haud dissimulamus, hoc ipsum non raro & nos in decursu observasse, ceterum id plerumque inde acci-
disse

-3710

disse deprehendimus, quod Continuator eosdem secutus esset cum Spondano Auctores, ambo vero illos suis verbis recitarent. Novissime etiam R. D. P. Bruno Parode clarissimus Fleurianæ Historiæ interpres in suo proemio hæc de illo notavit, *Historiam Fleurii Dominus Fabri usque ad sæculum XVI. completum continuavit, sed a Fleurii vestigiis, methodo & materia longe recessit.* Richardus quoque (a) haud ab simile de illo iudicium fert, dum scribit, „Continuator stupenda „ pollebat memoria, ac mira scri- „ bendi facilitate, in sua tamen „ Histo-

(a) *Dictionnaire universel des sciences Ecclésiastiques par Mr. Richard & autres Religieux Dominicains &c. Tom. II. p. 670.*

„ Historia Ecclesiastica desidera-
„ tur illa ingenii acies, materia-
„ rum selectus, ac a falsis discer-
„ nendi sagacitas, qua eminebat
„ celebris ille Scriptor, cujus Hi-
„ storiæ profecutus est „. E-
quidem hoc iudicium haud adeo
iniquum est, nihil tamen usque-
quaque utilitati ac præstantiæ o-
peris derogat, etiam stella a stel-
la in claritate differt, quælibet ta-
men lucem suam orbi communi-
cat. Ast acerbior longe fuit Cen-
sura Reverendissimi Domini Ste-
vart Ecclesiæ Metropolitanæ ad
S. Rumoldum Mechliniæ Decani,
qui præterquam, quod hujus con-
tinuationem non minus periculo-
sam, quam ipsam Fleurii Histo-
riam asserat, eundem etiam car-
pit,

pit, quod Fleurii dissertationes summe *injuriosas* ac *scandalosas* plurimum deprædicet, potissimam gestorum partem ex schismaticis, hæreticis, aliisque proscriptis libris mutuæ, inconsulto zelo quatuor famosos Cleri Gallicani articulos commendet; de decretis Sessiois IV. & V. Concilii Constantiensis falsa proferat, Basileensis acta depravet, & livido dente sanctissimos etiam Pontifices, præcipue Innocentium VIII. arrodant. Equidem nævis suis Fabri Historiam laborare haud diffitemur; aliqua enim immodico Gallicarum libertatum studio longius abreptus conscripsit, quibus occasione præprimis ex Pisano, Basileensi & Constan-

Hist. Ecclesiast. Tom. XXV. d tienti

tiensi Conciliis captata, summorum Pontificum auctoritatem offendit, non tam suo, quam eorum, qui primi de ejusmodi Materia scripserunt, vitio; in hoc tamen omnino redarguendus, quod frequenter scriptores, qui acriori calamo gesta Pontificum perstringunt, selegisse videatur, posthabitis iis, qui salva rei veritate modestiores confecere commentarios, in hoc plane non secutus egregium Aristotelis documentum, quo præscribit inter dissidentes (Historicos) oportere *utrosque diligere, adhærere vero certioribus* (a). Prævaluit nempe moderni sæculi corruptela, qua eruditus non censetur, nisi qui liberius

(a) *Metaphysic. c. 8.*

rius facta, veterum etiam assensu comprobata, reprehendit, ille autem egregius veritatis vindex audit, qui ruptis modestiæ repagulis, unicum forte hæterodoxum, aut Scriptorem etiam Catholicum, sed iracundia commotum in asserti sui patrocinium allegat, atque audacter in Pontifices & Ecclesiæ acta stylo satyrico desævit. *Sane iniquius nihil, inquit Petrus Firmianus, quam maligno calamo, aut dente aliorum lapsus perstringere, ut supra errores positi videamur, qui tam proterve, tamque solute arguimus.* Ejusmodi Historicos ingenuus ac veritatis amans Lector respuit, eisque cum Papyrio Massonio (a) indigna

(a) *Histor. Pontif.*

dignabundus denuntiat: *Te non sequemur, iratus enim, & inimico animo scribere videris, remque historico indignam facere, quem ira & odio rapi indecorum est.* Nec propterea in omnibus fugillanda est nostri Continuatoris libertas; Historici enim est, veritatem facti exponere, non vero personæ apologiam concinnare. Hæc sunt præcipua, quæ Continuatori nostro objecta comperimus, eadem tamen ubi occurrerint, pro injuncto mihi munere, notis etiam emendatoriis castigabimus.

§. IV.

De Interpretis consilio, & interpretationis ratione.

Hanc Historiam ut latinitate donarem, consilium primo inspirabat superiorum meorum voluntas, postmodum nec mediocre

cre

cre proposito calcar addebat, ipsa
operis nobilitas, & laboris utili-
tas; gallicam enim, qui ignorant
linguam, haud minori desiderio,
ac antea Abbatis Fleurii versio-
nem, ejusdem quoque continua-
tionem in latinum transferri ex-
optabant, prior horum voto ple-
ne satisfecit Clarissimus ac P. R.
D. P. Bruno Parode, cujus me-
moriam in benedictione est, poste-
rior quidem interpretationis com-
plementa eodem successu elabo-
rare conor, assequor minime. Nec
tamen manum a tabula remo-
vendam arbitratus sum. Absor-
bet enim virium mearum defe-
ctum operis præstantia, qua viri
eruditi plurimum pellecti inter-
pretationis negotium mihi con-

credere non dubitarunt. Stimulat etiam animum laboris utilitas, qua præsentem Historiæ Fleurianæ continuationem non solum latinitate donandam, sed maxime a mendis, quibus subinde scatet, ac præcipue ab illis, quæ rudi aut incauto Lectori offendiculo esse possent, ita expurgare constitui, ut ab omnis generis hominibus inoffenso pede percurri valeat. Hunc laborem utpote utilissimum eo lubentius in me suscipio, quo magis christianæ Reipublicæ perniciosum foret, si Hæterodoxorum non nemo, (quos plerumque promiscua Pontifices calumnian- di libido a veritatis semita abdu- cit) falcem suam in alienam hanc messem primus misisset, & forte
etiam

etiam ex melle venenum fugens, damnanda licentia ac libertate librum hunc adjectis corruptissimis notis conspurcasset, cujus rei recens juxta ac luculentum est argumentum versio illa germanica Historiæ Fleurianæ a quodam Hæterodoxo concinnata, merito Cæsareo edicto proscripta, & a Cl. D. P. Parode tam speciali libro germanici idiomatis, quam passim in progressu latinæ versionis suæ confutata. Prodiit etiam Anno 1724. Amstelodami in lingua hujus patriæ vernacula liber quidam sub hoc titulo: *Aenmerkens waerdige geschiedenissen getrokemuyt de geleerde Kerkerlyke Histori Fleury, met korte bemerkingen dormengd &c.* in quo Schisma-

d 4

tici

tici Batavi in unum volumen studiose congefferunt, quæ sparsim in XX tomis Historiæ D. Abbatis Fleurii liberius scripta inveniuntur, eaque corruptissimis notis, atque a sensu Auctoris plurimum alienis depravarunt. Neminem quoque latet nuperrime ejusdem Historiæ Synopsis Gallico idiomate inscripta: *Abregé de l'histoire Ecclesiastique par Monsieur Fleury*, typis vulgata, a M. d'Argens, aut verius a Monsieur de Prades Doctore Sorbonico iniquissimo calamo elucubrata, in qua Clarissimo D. Abbati Fleurio tanquam Auctori, quidquid virulentum, impium, ac sacrilegum excogitari potest, per summam injuriam affingit, haud alio certe consilio,

consilio, quam ut orthodoxæ fidei
hostes quemdam scriptorem ca-
tholicum squammata incircumcisi
cujusdam Goliath lorica indutum,
qui agminibus Israel exprobraret,
proferre, ac se viros spurios in
ipsis Israelitarum castris invenisse,
gloriarī valeant; nempe incautis
Lectoribus, ac simplici plebeculæ
etiam in linguis vulgaribus pu-
tidas contra sedem Apostolicam
calumnias sub ementito cujus-
dam Scriptoris orthodoxi vela-
mine impune obtrudere solent.
Ceterum de interpretationis meæ
ratione, Lector benevole! te ad-
monitum volo, me editione Pa-
risiensi, literis Emeriensibus An-
no 1726. excusatum fuisse, utpo-
te ab ipso Auctore secundis curis

recognita. Scias quoque in eo potissimum meum versatum fuisse laborem, ut Auctoris vestigiis, quantum licuit, presso pede insisterem, non verba, sed illorum sensum assequi, & potius claritati, quam phalerati sermonis cultui intentus: Barbariem quidem vulgaris sermonis, ejusque sordes, quam maxime potui, vitare curavi, sæpe tamen obscuras verborum circumscriptiones declinaturus, barbaris quidem, v. g. *Parlamentum, Consistorium, Connestabulis, Neutralitas, Salvus conductus &c.*, captui tamen magis accommodatus sum verbis; rebus enim recens inventis nova quoque verba adhibere licet: quare & in hoc meum sermonem, si non probatum

tum

tum, saltem excusatum iri confido. Præterea Nomina Virorum illustrium, ne styli concinnitas violetur, ad latinam formam deflexi, plerumque tamen ea suo idioma-
te in margine notata reperies, qua eadem methodo sum usus, dum latina urbium nomina apud Geographos desiderantur. Nulli præterea pepercì labori in evolven-
dis Auctõribus, quos Continuator allegat, ac non raro eorum verba, ut vocant, formalia etiam ubi Continuator propriis suis loquitur, adduxi, ut Historiæ non sola nar-
ratio, sed fides quoque & veritas eo certius constaret. Habes igitur amicissime Lector, laboris mei, si non fructum, saltem conatum, quem ad operis hujus interpreta-

preta-

pretationem impendi, hunc quoque pro tua humanitate æquibonique confule, & nãvos atque errores typi aut calami, siquid fortassis in sensum Auẽtoris peccavi, vel solerter emenda, quod a tua prudentia peto, vel benigne excusa, quod a sincero oculo & charitate tua spero. Vale ac meis qualibuscunque demum studiis fave. Quæ tibi, meque ipsum verbis S. Gregorii commendo, *ac quæso, ut quisquis hæc legeris, solatium mihi tuæ orationis impendas, & qui per me verba accipis, pro me lacrimas reddas.*



DISSER-